

Obes 3

CARMEN JUBILARE

REVERENDISSIMO DILECTISSIMOQUE PRÆSULI


JOANNI AUGUSTINO PAREDIS

RURÆMUNDENSI EPISCOPO

OBLATUM.

a

Joanne Christophoro RYKERS.



Trajecti ad Mosam
Typis HENRICI BOGAERTS.

—
1881.

IA
275



JOA




CARMEN JUBILARE

REVERENDISSIMO DILECTISSIMOQUE PRÆSULI

JOANNI AUGUSTINO PAREDIS

RURÆMUNDENSI EPISCOPO

OB LATUM.



CARMEN JUBILARE

REVERENDISSIMO DILECTISSIMOQUE PRAESULI

JOANNI AUGUSTINO PAREDIS

RURÆMUNDENSI EPISCOPO

Post cætera plurima jubileæ, annum sacerdotii sexagesimum, Episcopatus vero quadragesimum celebranti, tertio calendas Julias, festo SS. Apostolorum Petri et Pauli die, oblatum à


Joanne Christophoro RIJKERS,

SACERDOTE.

**Bibliotheek
MINDERBROEDERS
WEERT.**

Tractat al Mosar.
Typis HENRICI BOGAEËTS.

1881.



I.

Ergo annos sexaginta, Venerande Sacerdos!
Exigis, et quatuor jam leta decennia currunt
Ex quo pontificum radiantibus infula gemmis
Est delata Tibi, sedesque et summa potestas.

Hoc decus eximium, præclaræ hæc gaudia vite
Ille Pater tribuit qui volvit fata virorum
Magnorum, duplicatque piis virtutibus ævum.

Ecce sacerdotum circumstat leta caterva
Attollens animos, effundens vota precesque,
Teque coronatum longo splendore dierum
Plausibus et hymnis et corde et voce salutant!

Sed quæ vox poterit, quæ splendida lingua sonare,
Quod carmen celebrare virum quem Christus amavit,
Quem sibi consocians ab aratro ad summa retraxit
Munera pontificum, quem tot jubileæ decorant?
Sic parvi fontes in maxima flumina crescunt.



Nasceris in sæclo quo demens Gallia regem
Obtruncat, quo Relligio populata gemensque
Et versas aras et templa cadentia plorat.
Heu! furit impietas tua trux cunabula circum!
Tu puer et strages et napoleontica bella
Atque per Europen bachantia fulmina Martis

Aspicias, immensas procerum sternente ruinas
Armipotente viro, qui regum insignia ludens
Abripit, invictusque suis ea fratribus offert.
Audisti juvenum mortes lamentaque matrum.
Cum subito antè oculos ruere alto à culmine Caesar
Cœpit, et in mediis miraris fluctibus orbis
Victorem atque novum sub rupe Promethea fixum.

Tum mala vidisti, vidisti vulnera gentis
Christiadum: periire scholæ peritque sacerdos
Cum populo, nec jam studii spes ulla dabatur.
Sic ubi tempestas atro cum turbine sævit,
Sol refugit, cessere greges, fugere columbæ,
Et sternit segetes, sternit sata leta furitque
Aeris hyems ac spes miseri dilabitur anni:
Haud secus impietas fremuère atque horrida bella.

Attamen excelso qui dirigit omnia nutu,
Qui prostrata levat Christus labefactaque firmat
Robora, prospexit clemens de nube, piorum
Sanguine platus precibusque vocatus anhelis.
Christo subrisit cœli pulcherrima Virgo,
Magna Dei genitrix, magnum ætheris ornamentum.
Est illi juvenis patrios qui regnat in agros,
Nunc falcem arripiens, nunc vertens vomere glebas,
Aut in plaustra gerens messes aut semina jactans:
Aeri gaudet equo fructuque tumentibus arvis;
Attamen in miti plus gaudet pectore Christo.

Tum pia sic aperit Nato præcordia Mater:
» Fili (nam tali Te semper nomine dicam
» Atque etiam in cœlis hoc me dignaris honore),

» Fili, divinae miseratus vulnera sponsae,
» Quae bellis oppressa gemit gentisque perosae
» In pietate jacet, metam jam pone malorum!
» Sat scelus invaluit! satis est delusa potestas
» Quae tot prodigiis hominemque orbemque redemit!
» Siccinè spernentur tua crux dirique dolores
» Et fusum Solimae tanto molimine sanguis?
» Non ita! Jam labitur caele Pax alma sereno,
» Jam belli rabies, jam cessavere tumultus
» Et vexata diù lacrymas Ecclesia tergit.
» Sed non omne malum sanasti multa que restant
» Que solita pietate mihi Tu, Nate, levabis.

» Est urbs cara mihi, multos sacrata per annos,
» Quo Rura parva Mose magno se flumine miscet.
» Hic arae mihi thure calent; hic maxima templa
» Nassovia posuit quondam de stirpe Gerardus.
» Undique per vicos plateasque et strata viarum,
» Ornamenta domus nostrique insignia cultus,
» Effulgent statuæ, rebus solamen in arctis.

» At, juxta portam quam letus prænarat annis,
» Est iter, umbrosos pandit quo filia ramos,
» Quod veniente die, quod decedente pererrant
» Agmina que sanctis poscunt mea munera votis.
» Namque per herbiferos directo tramite campos,
» Ad nostras aedes via longa abducit ab urbe.
» Aedibus his celebri cultu mihi fulget imago,
» Sancta, vocata piis, memorando nomine, signis
» Circumquaque trahens populos per sæcula miris.

» Tu nosti: sed enim quid non peperere malorum
» Tempora, temporibus penè exæquanda Nerorum!

- » Ecce Ruræmundæ periit decus! Alma salutis
- » Pignora spreta jacent! Moerens levita recessit;
- » Templâ gemunt sacro quondam viduata decore;
- » Præsul abest, solioque manu distractus iniqua
- » Exilio moritur: lugent populus rarusque sacerdos!
- » Siccine præteritis illa urbs, mea maxima cura,
- » Muneribusque opibusque ex hoc spoliabitur? Aut jam
- » Purpureos cultus, queis Te tribuente micabat,
- » Exuet? aut à Te matrem feret illa repulsam?



Dixit, et in Christo supplex pia lumina fixit
Magna Parens, cujus studium mentemque tuetur
Filius et summo cui talia reddit amore:

- » Parce metu, Mater! Bellis afflicta resurgens
- » Fata Tibi: cernes urbem, tua pignora cernes
- » In melius servata brevi revalescere tempus.
- » Corde immota meo verax sententia perstat:
- » Floreat irriguumque bibat tua vinea fontem!

- » Haud procul extremo Belgarum limite vivit
- » Probus adolescens, manibus cui lilia plenis
- » Dat pietas lauroque caput præcingit honestum.
- » Nobilium veteri non est de stirpe creatus;
- » Sed venit antiquo de germine piscatorum:
- » Quem, si vixisset galilæo in littore quondam.
- » Duxissem, æternæ sociatum fœdere vitæ,
- » Unâ cum Petro germanoque atque Joanne
- » Et qui demersum cæpere in retibus orbem.

- » Sed nunc ut Gedeona, vitum qui fortia fecit,

- » Quem contra Madian sumsi de rure paterno,
- » Tritica purgantem ditantemque horrea patris,
- » Sic hunc è campis ad fata sublimia tollam. —
- » Hic vir, hic est Tibi quem concedi saepius ardes,
- » Mater! hunc tacitis me poscis fervida votis!



- » Ergo, Sancta Parens! nobiscum in fata futura
- » Verte oculos, rursumque Ruræ miraberis urbem.
- » Aspice ut ad nubes tollunt se ingentia templa!
- » Undique marmoreo spirantia ligna nitore
- » Sanctorum referunt vivà sub imagine formas.
- » Qui splendor! doctis pictura coloribus ornat
- » Arasquè murosque altàque in luce fenestras.

- » Instant artifices operi totamque per urbem
- » Ingeniosa virùm nobis industria servit
- » Mente, manu. Viden' ut rutilant monumenta Gerardi
- » Inclÿta, jam renovata, mea dignissima Matre,
- » Muneribusque piorum et festo splendida culta?
- » Quantus honos! Viden' ut tectis et turribus altis
- » Eminent, et keto ante aditus præcingitur hortu!
- » Ut quondam, populi tua circum altaria currunt
- » Et roseas recitare preces et ponere flores
- » Certant: immo etiam cernis longo ordine sponso
- » Ac sponsas, pueros simul innuptasque puellas,
- » Arboreis per amœna vie sub frondibus, omnes
- » Qui Tibi conveniunt, dulci cum murmure vocis,
- » Scilicet ut, quo mira Tui mihi fulget imago,
- » Et laudare Matrem possint et promere vota.

- » Quam floret pietas! Quanta est conversio rerum!
- » Jam fluit ad ludos studiis animosa juvenus;

- » Jam levitarum surgit pulcherrimus ordo.
- » Quot delubra Deo consurgunt! Undique fervet
- » Urbibus ac pagis ingens opus, undique cultus!
- » Ecce sacerdotum series adamantina crescit
- » Magna feraxque virum, quos passim signat amictu
- » Purpura, doctrinae morumque insigne decorum.



- » Hos inter Summus blandâ pietate Sacerdos,
- » Staturâ, ingenio longè supereminet omnes,
- » Seu, sylvâ in magnâ, reliquas super ardua frondes,
- » Extollitque comam surgitque ad nubila quercus.

- » O vir amande, colende tuis! Quem mitra bicornis,
- » Quem mea juncta tuis lectissima dona coronant!
- » Ipsi mella dabunt commixtaque balsama nomen!
- » Hic PAREDISUS erit! Huic læti spargite flores!
- » Hunc celebrate viri, pueri juvenesque senesque!!
- » Miti ex corde fluit vivarum flumen aquarum
- » In vitam æternam felici fonte redundans;
- » Aurea simplicitas ac nescia fallere virtus;
- » Candida rectaque mens, cor suave et pectus amicum.

- » Hujus in adventum jam nunc pia gaudia cantant
- » Læti cælicolæ mecum supera alta tenentes,
- » Agmina pontificum qui fortitur ostia quondam
- » Servavère Ruræ, cum trux grassata per urbem
- » Hæresis armipotens in sancta cadavera sævit.
- » Exsiliunt animis magni Venientis amore. —



- » Incassum variis hunc impetit artibus audax
- » Spiritus insidiasque struit, morboque minaci
- » Extenuans longâ exercet languedine corpus :

- » Nil nocuere lues, nil diri dæmonis ictus!
- » Ecce ut fronte hilari spoliis Antistes opimis
- » Ingreditur, victorque ævi victorque dolorum
- » Annorum seriem longam metitur, et aris
- » Insistens populo dulci modulamine cantat!
- » Corporis infractæ vires, infractaque virtus
- » Mentis, et extremæ lustrans devexa senectæ
- » Non tamen amittit sensus animosque viriles.
- » Tantus in hunc me vertit amor! Tam magna cupido est
- » Præsule pro tanto præbere precantibus aurem!



- » Currite, felices anni! nec ponite finem!
- » Semper dilectæ maneat pars altera vitæ!
- » Et si fata darent, si mors non lata fuisset,
- » Heu! paradisiacos PAREDISUS viveret annos
- » Riparumque hortus et prata virentia rivis
- » Incoleret, loca læta, quibus nec tarda senectus
- » Nec terrens hominem diræ inclementia mortis
- » At decus immortale fuit roburque perenne!

- » Sed quoniam miseros immiti funere lethum
- » Abripit orbigenas et lex est fixa manetque;
- » Illi annos annis cumulabo lustraque lustris
- » Adjiciam, solito prolato fine laborum.



- » Quin etiam, O Mater (quæ nil terræ polove
- » Pulchrius et superat nil usquam carius Ipsâ)!
- » Festa vide cultu toties celebrata solemnî
- » Et toties lætam festivis frondibus urbem.
- » Velantserta domos; vexilla undantia tectis
- » Educunt; plateas et flore et thure vaporant,
- » Turbaque densa, ingens ad sancta altaria currunt
- » Suppliciter: magnæ reboant ad sydera voces.

» Quanta sacerdotum pietas! Stant ordine circum
» Pastoremque Patremque simul; namque Ille paterno
» Attrahit affectu blandoque adstringit amore
» Quotquot sacripotens divina ad munera Christi
» Extulit, innumeros populi cœlique ministros.
» Eximios uno ore omnes gratulantur honores:
» Carmine, concentu, donis pia corda patescunt
» Pontifici, lacrymisque etiam mirantur obortis.
» Ille etenim crescit meritis et munere nostro:
» Plurima, vix audita, virum jubilæa coronant!



» Ecce annos sexaginta se gloria tollit
» Magna sacerdotii! Nunc leti plaudite cives!
» Plaudite, presbyteri! nec vos mihi parcite plausu,
» Sancti pontifices! qui quondam in sede Rurensi
» Thesaurus evangelicos documentaque vitæ
» Prompsistis, magnâ mecum mercede beati.

» Verum aliud longè majus multumque verendum
» Exornat diadema caput! — Mox fructifer annus
» Gaudia summa feret, cum sol maturat aristas,
» Cum magnos unâ proceras Paulumque Petrumque
» Evehit ad cœlos ingenti Ecclesia laule.

» Fortis olympiales octo tum maxumus annis
» Antistes celebrat: felicia tempora, nunquam
» Sat laudata, quibus venerandi culmen honoris
» Occupat, insigni quod murice fulget et auro!

» Sic, mihi vera Dei Genitrix! sic Filius ornat
» Quem sibi delegit, quem fert super æthera Mater.»



Dixerat. Alma Parens, oculos suffusa nitentes,
Ore fovet dextram quam tendit in oscula Christus,
Procumbitque genu laudans et Numen aorat.

II.

Ut vero surgens solio Regina superbo,
Stellarum insignis diademate, proxima Christo,
Immaculata, ingens, divina in luce resedit;
Tum subito exoritur motus fremitusque secundus.
Hicet ante thronum regnat quo Trinus et Unus
Numine, pontificum series veneranda priorum
Progre litur, gravis ingenio, pietate, senecta.
Quanta viris gratia est! Quanta est reverentia vultus!
Ora nitent claro lucis circumdata nimbo;
Fulgent purpuree vestes, quas ductile mira
Texuit arte aurum, mitre trabaeque fluentes:
Thuribula in manibus flammâ pascuntur odorâ.

Signifer apparet LINDANUS, (*) in ordine primus,
Primus et eximiis gestis scriptisque, laborum
Infractus, sedem qui fortiter inchoat, urbis
Servator, sævo late erumpente tumultu
Auriaci sceleris, cum florida regna Philippi
Christiadumque fidem demens invaderet error.
Bis Romam petiit tenditque ad limina Petri.
Quantum ille exiliis passus dirâque potentum
Sævitie! sedenim fidei inconcussa columna
Perstitit invictum caput objectare periclis.
Ingenio magnus redimitaque tempora lauro;
Magnus et ærumnis et Relligionis amore.

(*) Gulielmus Lindanus, episcopus ruremundensis primus, sed em occupavit ab anno 1569 ad annum 1588.

Æmulus hunc juxtà, nobis se CUYCHIUS (*) offert,
Eccè etiam doctà circumdat tempora fronde,
Doctrinà scriptoque potens. Non ille superbas
Mauritii fascès, latè fera bella moventis,
Horruit, at sancta pro libertate piorum
Corripuitque ducem calamoque repressit acuto.



Hos sequitur, parili gressu parilique decore,
Amstelodamiacis A CASTRO (**) natus in oris.
Mens studiis exulta viget, pariterque perita
Ambit obumbratam doctorum læurea frontem.
Quam valet eloquio, quam dulci flumine linguæ
Pectus amans ovium, dum tetram avertere pestem
Nititur hereseos et pastor ovilia servat!
Mellea verba fluunt blandi pastoris ab ore. (***)
Auriacis urbem copiis violataque templa
Ingemuit; regis sed mox superantibus armis,
Dives opum sanctarum excedit tempore, — miro
Cœlituum cantu deductus ad athera præsul. (****)



Te quoque, CRUSENI, (****) quem vix pia fata dedère
Quemque vetus Trajectum aluit, te pectore toto
Excipio venientem! Heu! magnæ lampadis instar
Dum rutilas, ingens Belgarum Ecclesia poscit
Mechliniamque rapit nostro de littore patrem!



(*) Scripsi; Cuychius, ut nomen aliquatenus saltem latinum efformarem *Henricus Cuychius* sedem tenuit ab anno 1597 usque ad annum 1609.

(**) *Jacobus A Castro*. 1611—1639— (***) Ea erat in dicendo lenitate, inquit Knippenbergh, quâ et ipsi catholici mirum in modum caperentur, quas in spiritu mansuetudinis *vicinos nostros* (onze naburen) appellare solitus erat.

(****) Conventum illum auditum fuisse à sanctâ virgine Joanna de Randeract, narrat idem clarissimus Knippenbergh in suâ *Historiâ ducatus Geldriæ*, l. VI. c. 10.

(****) *Andreas Cruesen*. 1651—1657.

Pone subit præsul generoso sanguine cretus,
D'ALLAMONTIUS: (*) hic, meritos ut ferret honores,
Splendida Christophori latè patèntia templa
Occupat, atque illùz cathedram pompasque sacrorum
Exiguà ritè Paracleti transtulit aede.
Summa viri pietas !

~~~~~

Hujus vestigia servat  
GOTTINIUS: (\*\*) stirps clara. Habitu vultuque relucet  
Nobilitas generis, quem mors tamen impia raptum  
Est ne passa quidem nostrà consistere terrà.

~~~~~

Quis tam præcipitis sanabit vulnera lethi?
Promicat et reliquos toto vir vertice suprà est.
Te post afflictis felix Antverpia misit,
REGINALDE frater! (***) solioque ornaris et ostro.
Scilicet ex humili monachus palatia scandis
Pontificum, Christique gregem quinquennia ducis
Quattuor, atque pecus quondam mala gramina pastum
Attrahis ad celi letè virentia prata.
Mira vides cum dilecti super ardua montis
Odiliae ascendis, magna comitante caterva
Christiadum; cum vota ferens atque ossa Wironis,
Æternum veneranda, sacris altaribus adstas.
Namque inter sacrum, populo spectante, puella
(Heu! mater miseram tristemque adduxerat aris!)
Lumina clausa diù, subito, mirabile dictu!
Solvuntur, priùs insolitâ radiantia luce.

(*) *Eugenius Albertus D'Allamont* 1659—1666.

(**) *Lancellotus De Gottignies* Nunquam cathedram occupavit præsens, inquit Kuÿppenbergh: consecratum anno 1672 mors sustulit anno 1673, octavo calendæ septembris, Bruxellis L. VIII c. 1.

(***) *Reginaldus Cools*, ex ordine Sti-Dominici. 1677—1700. Erat staturâ adeo procerâ ut tota cervice super adstantes emineret.

Sic Deus acceptat, sic prodiga dona coronat
Plurima quæ dederas ut, sancti in culmine montis,
Templa, solo bellis protrita ac diruta, rursus
Extrueres! Tali pretio talique tropheo
Instaurata canis solemnna festa parentum
Sanctorum, veræ fidei qui dona ferentes
Æternæ patribus jactarunt semina vitæ! (*)
Munere baccarum sic læta accrescit oliva;
Monte sub aërio sic emicat alta cupressus.



Quis verò ille virum qui post comitatur euntem?
ANGELUS est nec solùm nomine, sanguine cretus
D'ESTREO (**), comitum longâ propagine clarus:
At mortale decus perituraque gaudia mundi
Spernens, Francisci pro paupertate reliquit.
Hunc tamen, et vitâ præstantem et munere linguæ,
E cellæ latebris rapit ad sublimia Christus,
Ut denuò, quassata malis gravioribus urbis,
Servata, intrepido gauderet præsule sedes.
Hic jubileæ canit decies centena Wironis. — (***)
Hic magnos adiit proceres, hostesque recepit
Hospitio, gallo facilis batavoque rebelli.
Regibus hic jucundus erat regumque sedebat
Concilio, fidei patriæque altissima jura
Amplexus, dulci victor moderamine linguæ.
Quis subito rumor, quis nuntius excitat urbem?
Ecce lutherano nequidquam dogmate vineta,
Danorum regina potens divertit ad aulam
Pontificis gestitque piis accumbere mensis,

(*) Vide Knijpenbergh. l. VIII, c. 2 et 4. Parentes illi sancti fuere Wiro, Plechelmus et Otgerus, omnibus noti qui historiam nostram tantisper attigerunt.

(**) *Angelus d'Onnyes et d'Estrée*. 1702—1722.

(***) Anno 1706. Vide Knijpenbergh, præsertim verò Allertum Wolters, in eximio opere: *De heiligen Wiro, Plechelmus en Otgerus en het Keyttel van Odiën-Berg*. c. VI, § 2.

Quæ patriam repetens thermis ab Aquensibus, inde
Tracta Ruremundam magno de præsule famâ,
Mellifluo Christi miratur in hospite servum.
Ut pelusiacis fœcundans Nilus in arvis
Cuncta tenet latè mergitque in divite fluctu,
Eloquii sic ille sui data flumina fudit.



Proximus est illi SANGUessa (*) senique labores
Allevat auxilio, Francisco sacer et idem.
Ipse sedet solio multos exinde per annos;
Ipse pudicitie sanctos propugnat honores,
Nequidquam batavo contrâ frendente senatu,
Exagitatque lupos circum quos improba pestis
Hæreseos mactare greges in ovilia misit.



Ecce oritur grato lucens VERBRUCHIUS astro: (**)
Yprensis, quem doctrinâ et virtute Duacum
Imbuit, at meritis fulgentem Antverpia tollit.
Haud aliter cum sol roseo procedit ab ortu
Ignivomumque polo ducit per nubila currum,
Lactantur campi: subito regina volucrum
Extendens magnis cœlo clamoribus alas,
Lumina grata petit radiisque potentibus astrum
Ac tandem mediâ gaudet se mergere flammâ:
Sic cupit urbs regina virum, sic gaudet adepto.



Non ita DE ROBIANO! (***) Ingens hic gloria sedes!
Non hunc post illum ridens Antverpia traxit.

(*) *Franciscus Ludovicus Sanguessa*. 1622—1741. Coadjutor primum, dein episcopus ruremundensis; et antecessor, ex ordine patrum capitaneorum.

(**) *Josephus Anselmus Franciscus Werbrouck*. 1743—1746.

(***) *Joannes Antonius De Robiano*. 1746—1769. Oblatam sibi postea antverpianam sedem recusavit.

Mortuus, ut vivus, nostro de littore nunquam
Cessit et usque hodiè nostrum tenet ossa sepulcrum:
Sic toto primam dilexit pectore sponsam!
Qui præsul! Quantis signat virtutibus cra!
Quantum ardet certatque animas conjungere Christo!
Quantos sustinuit generosà mente labores!
Nulla viro requies: in itinera sancta cucurrit
Erudiens populos et sacro chrismate firmans.
Magna ministerii magnus subiitque tultique
Pondera, dilectus populo cleroque Deoque,
Exemplar morum, speculum mirabile vitæ,
Dum Borromæi sanctà sub imagine transit.



Jamque KERENS (*) subiit quo magna Teresia gaudet,
Austriacis regina locis columenque labantis
Imperii, cum rex subito borussicus audax
Silesios peteret campos atque impia bella moveret.
Non longùm passa est patriam sedemque beare
Trajecti genitum summoque in munere clarum
Pontificem; sed post aliquot sibi sansit aristas
Attraxitque virum cui pectoris intima pandit.



Ad latus ipsius, comitum de sanguine cretus,
Corpore præstanti, prudens HUNSBRUCHIUS adstat. (**)
Nascenti puero lux prima affulsit in urbe
Quam pietate regit: felix, si tempus iniquum,
Si magnà Joseph proles indigna parente (***)

(*) *Henricus Josephus Kerens*. 1770—1775. Qui Neustadium translatus, de-
mum magnæ Mariæ Teresiæ confessarius fuit. Non mutavi nomen, scribente Vir-
gilio: *Folsceus*.

(**) *Philippus Damianus Van Hoensbroeck*. 1775—1793. Sit venia nomini
quod, versibus ingratissimum, ideo correxi ne nimis superbissimum aurium
judicium læderet.

(***) Joseph scilicet imperator Austriae, Mariæ Teresiæ filius.

Non Christi sponsæ violasset jura manūque
Sacrilegâ robur libertatemque tulisset!
Haud tamen impunè! Regnoque ausisque tyrannus
Excidit et tristi decumbit vulnere lethi.

Tum verò belli sonitus clangorque tubarum
Obstrepat : in populos tum Gallia fulgurat amens
Atque etiam nostris latè furit impia terris.
Heu! pietas! heu! prisca fides! Jacet inclÿta quondam
Gloria Christiadum! Gestit ferus omnia miles
Perdere! Profugit devicta præsul ab urbe!
Spes tamen arridet consolaturque dolentem.
Ecce redit, fuis cum nos victoria Gallis (*)
Liberat; at mens fracta viri est corpusque fatiscit :
Venlonæ moritur, retinet Venlona sepulcrum.

—o—o—o—

Ultimus incedit, baronum stirpe creatus,
VANVELDÈ, (**) magnis quæ ducunt tempora fatis
Major et adversis invicti pectoris heros.
Illum si vellem complecti carmine, si quâ
Tollere presbyterum famâ, quem lustra laborum
Non domuere decem; non mille repagula rerum,
Annos ter denos, quos dux et episcopus egit;
Deficerem ingenio, studio deceptus inani!

Vicit amor Christi rectique immensa cupido!

Regibus ac populis gratus fuit, insuper almæ
Bellis in mediis suavissima pacis imago.
Sic cum cœlorum spatiis ruit agmen aquarum,
Ponitur irradians atris in nubibus arcus,

(*) Duobus præliis fusi proligatique sunt Galli, anno 1793, in campo Aldenhovensi et, ni fallor, werthensi.

(**) *Joannes-Baptista Robertus Van Velde de Melroy*. 1794—1801. Vanveldè scripsi, ut veteres : Cybelè.

Et latè pulchro complectitur aëra gyro.
Attamen exiliis gemuit : vix ostia vidit
Interclusa Ruræ , pulsus denuo atque repulsus ,
Hæc illac errans incertis sedibus exul.
Haud ideo abstinuit præclaro munere : semper
Mens erecta Deo , sacris mens ignibus acta
Magna ministerii spargebat dona per omnes
Quos adiit populos , divina charismata Christi.
Quot cruce firmavit , quot inunxit chrismate frontes ,
Dum latè ad Rhenum camposque urbesque peragrat !
Quot , cum regna thronique cadunt , cum territat orbem
Corsicus , et profugum cæsunque Ecclesia clerum
Prosequitur lacrymis , juvenum quot millia sacrat
In sanctos fidei testes Christique ministros ! (*)
Quid Romæ referam , quid Sanctæ Sedis amorem !
Ipse lubens cedit solio mitramque tiaræ
Subjicit (exemplum cunctis memorabile sæclis) ,
Tempore quo , domitis à Primo Consule monstis ,
Septimus ille Pius venit instaurare ruinas
Quas , per templa Dei , per Christi altissima regna ,
Sanguineo Galli coacervavère furore.
Illum etiam jucunde epulis accumbere regum (**)
Miramur , Christique bonum diffundere odorem.
Debitor est cunctis atque omnibus omnia factus.
Non tamen exterrēt domitorum fulmina pectus :
Aspice ut intrepido confundit corde superbum

(*) Libellus cui titulus : *Almanach du Clergé catholique romain pour l'an 1826*, hæc de magno illo episcopo refert : « Depuis le 18 Septembre 1797 jus-
qu'au 20 Août 1802, qu'il exerça son ministère à Emerick, on compte plus
de 4000 ecclésiastiques auxquels il conféra les ordres sacrés et plus de 250000
personnes à qui il administra la Confirmation. » Que profecto pene incredibilia
sunt.

(**) Regis Borussiae et Ludovici nostri qui , imperante Napoleone , Hollan-
diæ præpositus erat ve'ementèrque summi viri colloquiis virtutibusque delectabatur.

Nápoleona , Petri sanctissima jura negantem. (*)
Nequidquam offensi correptum Cæsaris ira
Parisiis tenuit : stetit immutabile pectus !
Hanc tantam sobolem lauda tu , Belgica tellus !
Et Rheni tractus laudent , Germania tota ;
Aspergatque rosis Hollanlia grata sepultum !

Tanto pontificum cœtu , tanto agmine felix ,
Nostra Ruræmundæ florens se Ecclesia jaetat ;
Hæc animosa phalanx , hæc est quæ fortiter hosti
Obstitit et Christi servavit jura fidemque :
Insignes virtutis animæ fumæque coruscæ !

— 1822, C. 177 —

Jamque omnes stabant letantesque ora levabant
Ante thronum , quo magna sedet Regina Deusque
Filius , excelso radiantem in vertice cœli.
Nec mora , thuribus agitant incensa feruntque
Thura Deo : circum glomerat se myrreæ nubes ,
Aureaque immensum tralucet gloria Christi.
Tunc uno ore omnes solvunt in cantica vocem :
« Tu qui profuso redemisti sanguine mundum
» Et , semper miseræ miseratus stirpis Adami ,
» Ducis ad infernum res nostras atque reducis ,
» Gloria , laus et honor Tibi sit , o Christe Redemptor !
» Ostia cara Ruræ superant sedesque triumphat !
» Jam novus Antistes cœlo demittitur alto ,
» Ferrea qui tollens , convertit in aurea tandem
» Tempora , felicis Dax ævi et Sydus amicum !
» Post noctem redit alma dies ; post atra serenum
» Nubila ; post hyemes gratum ver floribus annum

(*) Cum scilicet potentissimus Cæsar , spreta Summi Pontificis auctoritate ,
instaurare sedem sylvæ-ducensem vellet , operamque eâ in re episcopi nostri
posceret , restitit invicto hic animo Lutetiamque in custodiam abreptus est.

- » Vestit ; post mortem deperdita vita resurgit !
- » Clamat : hosanna ! Viro populus clamatque sacerdos ,
- » Læta Ruræque Mosæque simul pia littora clamant !

- » Non nostrum quisquam surrexit in ordine major : —
- » Temporibus vincit , vincitque laboribus omnes . —

- » Serva , Christe , Virum ! Tuque , o sanctissima Virgo !
- » Alma Dei Genitrix ! magno tutamine serva !
- » Tu , prece , Tu , meritis , nostros populique rogatus
- » Accipiens , annos viventi ac tempora profer ,
- » Et quæ multa canit jubileæ sublimia nobis
- » Illius æterni certissima pignora sunt .”

— 1852 —

Sic cecinere pii , facilisque in carmina Christus
Annuit et Matris gratissima vota recepit.
Tum vero auratis cytharis fidibusque canoris
Omnes cœlituum permulcent aethera turbæ :
Intonat immensi per vasta palatia cœli,
Itque reditque sonus , plectro repetitus et ore :
« Vivit in æternum , PAREDISI gloria vivit !”
Fulguraque ingeminant ; credas cecidisse columnas
Ædibus æthereis ; — et , Christi vivida vultu ,
Ignibus in mediis PAREDISI fulsit imago . —

Haec vidi mecum meditans , Sanctissime Præsul !
Non oculis , sed mente piâ , sed lumine cordis ;
Auribus hæc intus devincti pectoris hausi ,
Et scripsi , — exiguum sed magni pignus amoris .

